



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

III. Der Rath der Stadt Wriezen überläßt den Schlächtern die Fleischscharren zu erblichem Besitz und trifft gewisse Anordnungen für die Schlächtergilde, am 15. Dezember 1303.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54734)

totum opidum Vredeland cum omnibus suis pertinenciis tam in aquis quam in terris; Item Molendinum, quod Nuuenmollen dicitur, cum piscina, que dik vulgariter appellatur, cum omni Jure; Item piscinam de molendino, quod dicitur alebrandi, Et in eodem molendino sex choros et octo modios filiginis; Item stagna apud prouesthagen iacencia, scilicet magnum Tornow et paruum Tornow; Item stagnum apud Bukow, quod dicitur Gryben; Item stagnum Bucow dictum; Item stagnum apud Bucow, quod dicitur schermitzel; Item Album stagnum; Item villam Ringenwolde cum omni jure; Item villam Slawe cum omni iure; Item terciam partem ville mertenstorp cum omni jure, Item villam dameraw cum omni jure, Item tria talenta in campo kaprow cum omni jure, Item vineam apud vritznam et in vinea proxima adiacente octavum dimidium solidum, Item villam Luderstorp cum omni iure, Item villam Byfterstorp cum omni jure, Item in Molendino Dornebusch dicto Et in molendino Lubeneke dicto nouem choros filiginis et dimidium chorum Triticeii Brasii, Item in villa Lowenberg duos mansos cum omni jure, Item in villa Beirstorp quatuordecim mansos cum omni jure, Item in Ciuitate antiqua Bernaw decem solidos die beati Martini de consulibus attollendos, Item in villa Borneke septem mansos cum omni jure, Item in villa Ladeborch Tres choros filiginis cum omni jure, Item terciam partem uille parue Barne, Item terciam partem piscium in Wrizna, qui caneuisch vulgariter appellantur, Item in villa Morczane tres mansos cum omni jure. Premissa bona singula et omnia, que iusto titulo adipisci poterunt, eidem Sanctimonialibus in Vredeland, ut supra diximus, confirmauimus propter deum, volentes eisdem Sanctimoniales eadem bona absque precaria et omni seruitio communi ac priuato plene libertatis ac proprietatis titulo pacifice et quiete perpetue possidere. Ne igitur omnis nostra gracia eidem Sanctimonialibus per nos rite facta et presentibus confirmata per nos vel quempiam successorum nostrorum irritari in posterum valeat vel infringi, presentes ipsi conscribi et sigilli nostri appensione iussimus communiri. Testes quoque huius sunt Reuerendus pater dominus Johannes, Abbas ecclesie Leninensis, frater Wilhelmus, prior domus ordinis predicatorum in Colonia, dominus Arnoldus, plebanus in Ewerfswalde, dominus Bruno de Berlin, dominus Johannes de landefsberg et Dominus Boldewinus, plebanus in noua Bernow, capellani nostri. Johannes Sparro, Heino de pule, Heino de Oderberch, Milites nostri, Theodericus de Bornum, Gherardus Wrist, Theodericus Repecow, Jacobus Sparro, Michaelis et Heinricus de thene et Conradus de sconebeke, uasalli nostri et plures alii fide digni. Actum et datum Ewerfswalde per manum Johannis tunc nostri notarii, Anno domini millesimo tricentesimo, die beate Elisabeth.

Nach dem Churm. Lehnscopialbuche XXV, 18b. 19a.

Ann. Der Besitzer der Dornbuschmühle zu Wriezen mußte dem Kloster Friedland die eigenthümliche Lehnware leisten, den Nonnen täglich vor Sonnenaufgang eine warme Semmel zu liefern.

III. Der Rath der Stadt Wriezen überläßt den Schlächtern die Fleischscharren zu erblichem Besitze und trifft gewisse Anordnungen für die Schlächtergilde, am 15. Dezember 1303.

Ne ea, que aguntur in tempore, simul labantur cum tempore, poni solent in lingua testium et scripture memoria perhennari. Hinc est, quod nos consules ciuitatis in Wrizna, Arnol-

dus auis, euerhardus corner, Johannes scolemunt, Nycolaus de granzoy, Otto
 carnifex, Thidericus de angermunde, Notum esse volumus omnibus, quorum visui et auditui hoc
 scriptum oblatum fuerit, Nos contulisse macella nostre ciuitatis carnificibus nostris ciuibus existentibus
 suisque veris heredibus natis et nascendis, consensu vnanimi, maturo consilio super hoc habito, quiete
 et libere absque omni impedimento iure hereditario possidenda, Condicione hac, quod si predicta
 macella vetustate uel ruptura aliqua alia diruerentur, a suis possessoribus refici deberent et emen-
 dari. Adiecimus eciam, quod si aliquis adueniret opus acquirere volens, prius eorundem fauore
 habito, extunc per ipsos deberet ad hoc habendum apud consules promoueri. Volumus eciam, ut
 quicumque aliquem commiserit excessum altrinsecus in alium, secundum ipsorum fraternitatis arbitra-
 tum antea habitum talem excessum corrigi et emendari. Hoc igitur factum inuolabiliter ex commisso
 nostre ciuitatis consulatus obseruandum, ne a quoquam impediendum retrahatur in posterum, present
 scriptum inde confectum sigilli nostri munimine volumus roborari. Testes huius sunt consules pre-
 nominati viri fide digni. Datum anno domini M^o CCC^o Tercio, XVIII kalendas ianuarii, Dominica
 die proxima post octauam nycolai.

Nach dem Original im Besitz der Stadt Wriezen.

IV. Markgraf Hermann bestätigt dem Kloster Friedland Besitzungen an der Stobber, welche das
 Kloster während des Markgrafen Abwesenheit in Böhmen von denen von Rochlitz erworben hat,
 am 1. Januar 1305.

In Nomine Sancte et iudicue Trinitatis Amen. Hermannus, Dei gratia Brandenbur-
 gensis Marchio et Lufatie atque Dominus de Hynenbergk, Omnibus Christi fidelibus presentem
 paginam inspecturis seu auditoris salutem inperpetuum. Quoniam memoria hominum est labilis, Vita
 breuis et instabilis, expedit ut acta rationabiliter ordinata literarum serie et fidelium testimonio per-
 enniter roborentur. Ideoque tenore presentium publice profitentes, quod Nostri fideles uidelicet
 pueri Guntheri Henrici junioris de Rochlitz Domini et sua relicta hereditatem et feudum
 omnium bonorum suorum vulgariter Godesgave nuncupatorum juxta fluuium Stobero sitorum
 cum pertinencijs ac prouentibus uniuersis scilicet in agris cultis et incultis, in Syluis, in pascuis, in
 pratis liberis et feudaliter suis subditis collatis ex utraque parte fluij Stobero situatis, in hortis,
 in molendinis supra predictum fluuium edificatis, in piscinis, in aquis circumjacentibus, que stagna
 dicuntur, sicut ipsi et eorum progenitores cum omni jure possidebant, Sanctimonialibus in claustro
 Vredelandt bona uoluntate pro ducentis et quadraginta quinque marcis Brandenburgensis argenti
 et ponderis uendiderunt, quibus persolutis predicta bona, nobis in Boemia existentibus, coram
 nostris Fidelibus uidelicet theodorico de Groben Domino nostro dapifero et wiperto, de
 Barby Domino, in nostra ciuitate Berlin ad manus seu ad utilitatem predictarum Sanctimonialium
 oretenus resignabant, Tandem etiam suis literis patentibus sub Sigillo patris ipsorum conscriptis si-
 militer resignarunt. Nos quoque orationum et aliorum bonorum operum antedictarum sanctimonia-
 lium participes fieri in corpore et anima cupientes ad laudem Deij omnipotentis ejusque gloriose
 matris et Virginis Marie ac sancti johannis Baptiste ob salutem animarum nostre uidelicet et nostro-
 rum omnium progenitorum proprietatem sepe predictorum bonorum cum omni jure absque precaria